

**William of Ware**  
**Teaching Philosophy and Theology in the 13th Century**  
**between Thomas Aquinas and Duns Scotus.**

**Guglielmo di Ware**  
**Insegnare filosofia e teologia nel XIII secolo**  
**tra Tommaso d'Aquino e Duns Scoto.**

**Pontificia Università della Santa Croce (PUSC) – Pontificia Università Antonianum (PUA)**  
**Rome, April, 29th-30th 2021 / Roma 29-30 Aprile 2021**

**The Destiny of Man and the Possibility of Resurrection.  
A reading of William of Ware, *In Sent.*, IV, q. 223**

Antonio Petagine  
Università degli studi Roma Tre  
Pontificia Università della Santa Croce

**Handout**

**Text 1**

17(215). Quod non contingit corpus corruptum redire idem numero, nec idem numero resurget.

18 (216). Quod resurrectio futura non debet concedi a philosophie quia impossibile est <eam> inuestigari per rationem. - Error, quia etiam philosophus debet captiuare intellectum in obsequium fidei.

*La Condamnation Parisienne de 1277*, ed. Piché, Paris 1999, p. 84

**Text 2**

William of Ware, <i>In Sent.</i> , IV, q. 223, in Weber, <i>Die Lehre von der Auferstehung der Toten in den Haupttraktaten des scholastischen Theologie</i> , p. 363, II. 28-35.	Henry of Ghent, <i>Quodlibet VII</i> , q. 16, ed. Wilson, Leuven 1991, p. 112, II. 57-68.	Thomas Aquinas, <i>Summa Contra Gentiles</i> , IV, c. 81, § 4151
Possibilitatem autem resurrectionis hominis sic in speciali aliqui dicunt per hoc, quod in homine non est nisi una forma, scil. anima intellectiva, quae est incorruptibilis, et materia prima, quae est similiter incorruptibilis; et quia manent ambae istae partes incorruptae, ideo non est mirum, si Deus iterum poterit eas reunire ad invicem, et per consequens, quod resurgat idem homo numero. Et si dicatur, quod non poterunt redire eadem accidentia numero in homine, cum accidentia sint corrupta, dicunt, quod ex hoc non impeditur, quin resurgat idem homo secundum substantiam, licet non secundum accidentia.	Dubitatio tota de resurrectionis, et difficultas restat ex parte corporis resoluti in pluralitatem materiae. Sed in hoc apud ponentes quod in homine cum nuda materia non est forma alia ab anima intellectiva non magna restat dubitatio, cum anima manet eadem numero quae prius, et similiter materia, et quantum ex parte Dei, perfecta manet potentia animam semel separata eidem materiae posse coniungere, quae omnes easdem dispositiones materiales et corporales secum adducat quae prius corruptae. Quare, etsi non essent eaedem numero, cum tantum sint accidentales, nihilominus tamen esset vera et perfecta resurrectio, existente eodem substantialiter, quod primo cecidit et quod postea surrexit: idem enim numero manens, mutuatur secundum tempora, secundum diversa accidentia.	Nullum enim principiorum essentialium hominis per mortem omnino cedit in nihilum: nam anima rationalis, quae est hominis forma, manet post mortem, ut superius est ostensum; materia etiam manet, quae tali formae fuit subiecta, sub dimensionibus eiusdem ex quibus habebat ut esset individualis materia. Ex coniunctione igitur eiusdem animae numero ad eandem materiam numero, homo reparabitur.

### Text 3

<p>William of Ware, <i>In Sent.</i>, IV, q. 223, in Weber, <i>Die Lehre...</i>, pp. 363,36-364,25.</p> <p>In generali autem ista, possibilitatem ostendo et ex conditione naturae et ex parte divinae iustitiae et ex appetitu rationalis naturae. Primum sic: Postquam anima intellectiva est forma corporis, habet naturalem appetitum ad corpum, et per consequens non est naturale sibi esser extra corpus proprium, immo magis innaturale et quasi violenter, et naturale esse in corpore. Sed nullum violentum est perpetuum. Quare ipsa resurrectio est possibilis, et aliquando est futura.</p> <p>Ex parte iustitiae divinae probatur sic resurrectio: Multi iusti vivunt in hac vita, et sustinent multas iniurias ed adversitates, stulti vivunt iniustae, et tamen habent omnes prosperitates. Cum igitur Deus sit iudex iustus, oportet ponere aliam vitam, in qua retribuatur bona bonis et mala malis; et per consequens oportet ponere resurrectionem possibilem ad hoc, quod homo praemietur in corpore, sicut in corpore merebatur. [...]</p> <p>A parte appetitus probatur sic: Omnis homo naturaliter appetit beatitudinem, sicut dicit Augustinus, X <i>De Civ. Dei</i>, cap. 32, ubi sic habetur sententialiter: <i>Indidit nobis Deus ut velimus esse beati</i>. Item, II <i>De lib. Arb.</i> cap. 15, vel 8 secundum alia capitula dicens: <i>Omnes sine controversia volumus beatitudinem, sed antequam beati sumus, mentibus nostris impressa est vitae bonitas, per hanc enim scimus fidenter, et sine nulla distinctione diximus nos beatos esse velle</i>. Hoc ille. Cum igitur in hac vita non possit haberi perfecta beatitudo, quia sit plena miseriis et aerumnis, oportet ponere aliam vitam esse, et resurrectionem esse possibilem,</p>	<p>Bonventure, <i>In IV Sent.</i>, d. 43, a. 1, q. 1, concl., ed. Quaracchi, p. 884a.</p> <p>Super hoc fidei fundamentum superaedificatur <i>persuasio rationis</i>, quia quod resurrectio sit futura, exigit <i>remuneratio divinae iustitiae</i>, quae homini retribuit, sicut et meruit; secundo, <i>consummatio gloriae</i>, quae omnem animae appetitum complebit vel quietabit; tertio <i>perfectio naturae</i>, quae consistit in toto composito, non in altera eius parte.</p>	<p>Thomas de Aquino, <i>Summa Contra Gentiles</i>, IV, c. 79, §§ 4135-4137</p> <p>Manifestum est etiam [...] quod anima corpori naturaliter unitur: est enim secundum suam essentiam corporis forma. Est igitur contra naturam animae absque corpore esse. Nihil autem quod est contra naturam, potest esse perpetuum. Non igitur perpetuo erit anima absque corpore. Cum igitur perpetuo maneat, oportet eam corpori iterato coniungi: quod est resurgere. [...]</p> <p>Adhuc. Ostensum est supra, in tertio, naturale hominis desiderium ad felicitatem tendere. Felicitas autem ultima est felicis perfectio. Cuicunque igitur deest aliquid ad perfectionem, nondum habet felicitatem perfectam, quia nondum eius desiderium totaliter quietatur: omne enim imperfectum perfectionem consequi naturaliter cupit. Anima autem a corpore separata est aliquo modo imperfecta, sicut omnis pars extra suum totum existens: anima enim naturaliter est pars humanae naturae. Non igitur potest homo ultimam felicitatem consequi nisi anima iterato corpori coniungatur: praesertim cum ostensum sit quod in hac vita homo non potest ad felicitatem ultimam pervenire.</p> <p>Item. Sicut in tertio ostensum est, ex divina providentia peccantibus poena debetur, et bene agentibus praemium. In hac autem vita homines ex anima et corpore compositi peccant vel recte agunt. Debetur igitur hominibus et secundum animam et secundum corpus praemium vel poena.</p>
---	--	---

<p>alias appetitus esset frustra, cum homo totus secundum totum sui appetant beatificari.</p>		
---	--	--

#### Text 4

<p>William of Ware, <i>In Sent.</i>, IV, q. 223, in Weber, <i>Die Lehre...</i>, pp. 363, 20-29.</p> <p>Verumtamen aliqui dicunt, quod ponendo plures formas in homine et quod aliqua forma in morte hominis corrumpatur, quod impossibile est per aliquam potentiam idem numero reparari. Quorum ratio est, quia tunc esset ibi nova mutatio, quod probant per hoc, quod esset alio instanti mensurata quam prima mutatio. Sed si esset nova mutatio, oportet quod terminus esset novus et per consequens alias terminus, et sic non esset idem numero reparatum. Istud credo esser falsum et contra auctoritatem sanctorum.[...]. Idem dicit Gregorius, <i>super Ezech.</i> p. 2 homelia 8, cap. 5 in una acutoritate, quae sic incipit: <i>Carnem hominis commedit lupus, lupum vero comedit leo</i>, etc.</p>	<p>Henry of Ghent, <i>Quodlibet VII</i>, q. 16, ed. Wilson, pp. 112-113, II. 69-98</p> <p>Magna autem restat dubitationis occasio illis qui ponunt quod in homine praeter animam intellectivam sit alia forma corporalis educta de potentia materiae, secundum modum alias a nobis expositum. Iste enim debent ostendere, quomodo forma prius corrupta postmodum possit eadem numero reparari. Sed in hoc non restat adhuc difficultas ex parte agentis resurrectionem, scilicet Dei, quia eidem possibile est agere quidquid non est omnino impossibile fieri ex parte naturae et rei extra. [...]. Unde, cum in eadem materia numero omnes formae generabiles et corruptibiles sunt in potentia, licet sub una sit tantum in actu, et licet etiam materia quae aliquando fuit sub forma singulari alicuius hominis, postea habeat esse sub forma alicuius bestiae, manet tamen potentia ut ex illa potest educi forma hominis corrupta, in quantum materia erat in potentia ad illam, non autem in quantum erat in potentia ad aliam, dicente Gregorio, parte II", super Ezechielem, homilia 8", cap.o 5°: «<i>Carnem hominis lupus comedit, lupum leo devoravit, leo moriens ad pulverem rediit, quomodo caro hominis a lupi et leonis carne dividitur? Quibus quid respondere aliud debemus, nisi prius cogitent qualiter in hoc mundo venerunt, et tunc invenient qualiter resurgent?</i>». Quod intelligo: aspicio ad potentias diversas materiae ex quibus deducuntur in esse, et in quas resolvuntur, et iterum possunt educi. Unde addit post aliqua interposita: «<i>Quid mirum si possit omnipotens Deus in illa resurrectione mortuorum carnem hominis distinguere a carne bestiarum ut unus idemque pulvis, et non resurgat in quantum pulvis et lupi et leonis est, et tamen resurgat in quantum pulvis est hominis?</i>»</p>
--	---

#### Text 5

<p>William of Ware, <i>In Sent.</i>, IV, q. 223, in Weber, <i>Die Lehre...</i>, p. 365, 20-29.</p> <p>De tertio breviter me expedio et dico, quod resurrectio est supernaturalis, licet terminus resurrectionis sit aliquid naturale, nam ad hoc, quod dicatur mutatio naturalis non solum requiritur quod terminus sit aliquid naturale, sed etiam quod fiat modo naturali. Exemplum de motu gravium deorsum per violentum impulsu, quia iste terminus, inquantum est velocior propter talem impulsu, est violentus, non obstante, quod</p>	<p>Giles of Rome, <i>De resurrectione mortuorum</i>, q. 2, resp., ed. Nolan, p.68, II. 142-148, 157-159; p. 69, 180-184.</p> <p>Sed cum resurrectio terminetur ad vivere, et vivere viventibus sit esse, non est intelligibile quod resurgentibus tribuatur vivere vel esse, nisi eis competit forma vel natura aliqua quae sit ratio et principium vivendi vel essendi; et quia hoc est esse naturale, videtur nulla modo dubitandum esse quin resurrectio debeat dici naturalis. Propter quod <i>notandum</i> quod non sufficit ad hoc quod aliquid sit naturale quod terminetur</p>
--	--

<p>terminus sit sibi naturalis, scil. esse deorsum.</p>	<p>ad formam vel naturam, sed oportet quod hoc fiat modo et ordine naturali. [...]. Sic et resurrectio terminetur ad formam et ad esse ut ad animam et ad vivere, attamen quia hoc non sit modo et ordine naturali, sed supernaturali, non debet dici naturalis, sed supernaturalis. [...].</p> <p>Si quis proiceret lapidem aliquam deorsum cum violenta, itaque violentius lapis deorsum tenderet quam e sua gravitas daret, licet motus ille tenderet deorsum in quo naturaliter quiescunt gravia. Non tamen secundum quod huiusmodi esset naturalis, sed violentus, quia principium huiusmodi motus secundum quod huiusmodi non esset natura sed violentia.</p>
---	---

## Text 6

Quorum substantia deperit non remanent eadem numero, verum est si hoc fiat per transmutationem et motum. Sed Deus qui absque transmutatione et motu agere potest substantiam per eum enim poterit eandem numero restaurare.

Giles of Rome, *Questio de resurrectione mortuorum*, q. 1, ad 1, ed. Nolan, p. 408, ll. 161-164

## Text 6bis

<p>William of Ware, <i>In Sent.</i>, IV, q. 223, in Weber, <i>Die Lehre...</i>, pp. 365,30-366,21</p> <p>Aliter dicitur, et melius iudicio meo, quod etsi agens naturale non possit facere, quod duae mutationes termierentur ad idem numero, tamen Deus bene potest; cuius ratio est quod de ratione mutationis non est plus, nisi quod per ipsam capit esse illud quod immediate ante habuit non esse; quod autem illud habuit prius esse, et quia hoc est extra rationem mutationis, sufficit ad mutationem, quod hoc productum sit solum novum, quia per respectum ad mutationem istam, et quod per respectum ad istam mutationem gerat vicem novi, inquantum per ipsam capit esse, quod immediate ante non fuit, et non requiritur quod sit simpliciter novum ita, quod illud idem numero numquam prius fuit, et per consequens sequitur ex dictis, quod non obstante, quod sit nova mutatio totaliter, quod non concludit quod novum productum totaliter, scil. quod idem numquam prius fuit ante, sed solum fit novum per respectum ad talem mutationem, inquantum per ipsam capit esse, quod immediate ante habuit esse.</p> <p>Vel aliter dicitur quod sicut creatio non dicit aliquid differens ab essentia creaturae, sed solum dicit ipsam essentiam positivam in esse sola volitione divina.</p> <p>Sic dico in proposito, quod non est hic alia mutatione differens realiter ab ipso termino resurrectionis, sed solum volitione divina ipsa forma reuniretur materiae sine omni mutatione media differente termino, et per consequens argumentum deficit ponendo mutationem</p>	<p>Henry of Ghent, <i>Quodlibet VII</i>, q. 16, ed. Wilson, pp. 114, ll. 11-31</p> <p>Licet hoc non sit possibile agenti naturali, quia proximum generans naturale non agit producendo aliquid de potentia in actu, nisi per aliquam sui transmutationem qua transmutatus transmutat materiam, ita quod propria transmutatio est ad propriam formam, et sicut ad albedinem est motus albationis, non nigrationis, sic ad hanc albedinem iste motus albationis, et non aliis, unde, quia agens naturale non potest repeter eandem transmutationem qua prius aliquid generavit, quia interrupta est, et interruptum non potest esse unum et idem numero prius et posterius, sicut nec potest idem tempus prius corruptum reverti, idcirco ergo non potest idem corruptum iterato regenerari ab agente naturali, est tamen hoc multum possibile agenti supernaturali, qui non agit aliquid aliqua transmutatione qualis est in naturalibus, sed semper eodem modo, manens independens ab aliqua transmutatione circa subiectum praeeexistens, qualiter dependet actionaturalis, immutat singula. Propter quod eodem modo se habet in prima rei productione, et in quacumque alia, et ideo ulterius et uniformiter potest idem numero producere prima productione, et alia sequente, et indifferenter etiam ex nihilo sicut ex aliquo, quia sua actio, et ut est a se, et ut recipitur secundum dictum modum in subiecto materiae primo et secundo, est penitus una actio, ac si agens naturale</p>
--	---

novam, ubi nulla intervenit mutatio media, sed solum volitione divina fiet unum.	eadem transmutationem numero circa eandem materiam repeteret.
--	---

## Text 7

Aliter ponitur, quod quia natura non agit, nisi per motum et mutationem, ideo non potest reducere idem numero, quia motus vel mutatio non potest redire idem numero; Deus autem potest agere, non per motum et mutationem; et ideo per oppositum potest etiam reducere idem numero. [...] Contra istud: ad propositum, falsum supponitur, scilicet Deus non agat per mutationem resuscitando. Quod probatur, quia materia praefuit sub privatione formae, et fit sub forma; ergo per actionem agentis transit de privatione ad formam; sed talis transitus est proprie ‘mutatio’, quia tota ratio mutationis ibi salvatur.

John Duns Scotus, *Ordinatio*, IV, d. 43, q. 1, § 27, ed. Vaticana, p. 9.

## Text 8

Supposito quod in alio et alio tempore sit alius et alius motus et alia mutatio per quam agens naturale agit in diversis temporibus, tamen ad hoc non sequitur quod propter hoc oporteat esse alium et alium terminum, nam de ratione motus sive mutationis, sicut dictum in praecedenti quaestione, non est plus nisi quod per ipsam mutationem aliquid nunc capit esse quod immediate ante habuit non esse. Quod vero illud quod movetur capit esse idem semper ante habuit non esse vel aliquando habuit prius esse et postmodum non esse. Ideo hoc accidit totaliter in mutationi et quia accidit, ideo due mutationes possunt terminari ad idem in numero quod prius habuit esse et postmodum habuit non esse, et tunc iterum per secundam mutationem capit esse, quae quidem mutatio adeo erit una mutatio sic terminata ad aliquid quod prius habuit aliquando esse per istam mutationem sicut si numquam illud fuissest ante. [...]

Vel aliter dicendum quod non video quare Deus non posset facere duas mutationes ad eandem formam in numero terminari, quia hoc potest fieri per naturam, postquam aer est in potentia ad ignem et ista, puta una forma numero existens in potentia materiae, non solum potest reduci per agens, puta ignem, sed etiam potest reduci per agens aliud eiusdem speciei in actu. Sequitur quod ad istam formam eandem in numero possunt esse duae mutationes, nam aliud et aliud agens naturale agit per aliam et aliam mutationem, licet posita una mutatione in actu naturaliter non possit poni alia mutatio simul cum ipsa. Exemplum ad hoc: ymaginandum est quod forma ignis eadem numero existens in potentia materiae [...], non solum est in potentia ut reducatur ad actum per istum ignem determinatum sed etiam est in potentia ut reducatur ad actum per alium ignem eiusdem speciei. Et per consequens, cum sint vel possent esse duo agentia eandem formam in numero reducentia ad actum poterant esse duae mutationes ad eandem formam secundum numerum.

William of Ware, *In Sent.*, IV, q. 224, Ms. Wien, ONB, cod. 1424, ff. 166rb-166va.